

BX 1749
T6
v. 4
1883-76



UNIVERSIDAD DE SALAMANCA



REAL ACADEMIA DE CIENCIAS EXACTAS, FÍSICAS Y NATURALES DE MADRID

TRACTATUS

DE SACRO

TRINITATIS MYSTERIO.

QUESTIO XXVII.

DE PROCESSIONE DIVINARUM PERSONARUM.

SUMMA LITTERÆ.

Qua ratione S. Thomas mysterium Trinitatis explicaturus a processio-
nibus, et relationibus divinis has primas duas quæstiones inchoaverit, di-
ximus præcedenti tomo, in isagoge doctrinæ D. Thomæ circa ordinem
primæ partis. Sunt enim ista duo quasi duo præsupposita, et principia,
quibus omnis Personarum in Deo distinctio fundatur, quia sine processio-
nibus non est fundamentum relationum, et sine relationibus non posset
esse distinctio in Personis, quin esset in ipsa substantia, et essentia Dei,
quod esset subvertere mysterium Trinitatis: hæc enim in Personis distinc-
tum, et in substantia unum fides catholica profitetur.

Igitur in hac quæstione xxvii de processioibus divinis duo præcipua
tractat D. Thomas. Primo, quoad quæstionem an est, an detur processio
in divinis. Secundo, quoad numerum, differentiamque processionum,
quot et quales sint. Primum expedit primo articulo. Secundum per reli-
quos quatuor articulos declarat.

In primo articulo ostendit s. doctor quod juxta Scripturam divinam pro-
cessiones in Deo ponendæ sunt, non sicut procedunt creaturæ, quæ sunt
extra Deum, sed tamquam res manentes intra Deum. Unde non solum est
processio, sicut effectus a causa, sic enim Filius procedens non esset Deus,
quod tamen Scriptura docet; nec est processio secundum quod causa pro-
cedit in effectum, et juxta diversos effectus quos facit, diversas denomina-
tiones assumit: sic enim non distinguenter Personæ procedentes, sed
essent una Persona sub diversis officiis vel denominationibus, cujus oppo-
situm Scriptura dicit. Est ergo processio in divinis ad intra, ita quod pro-
cedens et principium sunt diversæ Personæ; et tamen in unitate substan-
tiæ sunt unum, quia processio intellectualis est per actus immanentes, et
ad intra: ex hoc enim quod aliquis intelligit, conceptio procedit intra
ipsum, quæ tanto est perfectior, quanto magis una, et intima, et similis

ipsi speciei, et principio intelligenti. Cum ergo Deus sit naturæ intellectualis, utrumque habet, et quod aliquid procedat intra ipsum, ex hoc quod intelligit, et quod sit summe unum cum intelligente, quia est perfectissima intellectio.

In articulo secundo ostendit quod aliqua processio in Deo est generatio, scilicet processio Verbi : quia habet omnes conditiones generationis propriissimæ : est enim processio vitalis viventis a viventi, et a principio conjuncto, scilicet ab ipsomet intelligente fœcundato per speciem, et in similitudinem, quia est expressa similitudo speciei, et in eadem natura, quia intelligere et intelligi est ipsum substantiale esse Dei.

In articulo tertio ostendit præter processionem Verbi dari aliam in Deo, quia in nobis, et in natura intellectuali non solum procedit aliquid per actionem intellectus concipiendo, sed etiam per actum voluntatis spirando et inclinando in rem amatam. Datur ergo in Deo secundum voluntatem et amorem, Spiritus procedens, quasi impulsus, sicut secundum intellectum Verbum expressum, ut imago.

In articulo quarto ostendit S. Thomas hanc secundam processionem amoris non esse generationem, eo quod non convenit illi quod sit processio secundum similitudinem in natura ex sua formali ratione, et modo talis processionis, sed solum ex sua formali ratione habet esse per modum impulsus, et inclinationis : omnis autem inclinatio supponit formam, seu naturam, cujus est inclinatio, non formaliter naturam constituit ; et sic procedens secundum inclinationem, non procedit ut genitum, licet, quia in Deo inclinatio et natura, forma et voluntas sunt idem, habeat identice eandem naturam id quod sic procedit.

In articulo quinto ostendit non esse plures processionem quam istas duas, quia processionem attenduntur secundum actiones. Non sunt autem in natura divina aliæ actiones quam intelligere et velle, quæ sint actiones ad intra, et sic non sunt nisi duo genera processionum, scilicet per intellectum et per voluntatem, seu amorem. Et in quolibet genere, non est nisi unica processio numero, quia quælibet est infinita in suo genere, et unica exhaurit totum, quia summe perfecta est.

DISPUTATIO XII.

DE PROCESSIONIBUS INTRA DEUM.

Antequam scholasticas magisque metaphysicas quæstiones circa hoc mysterium disputemus, prius in ipsius mysterii veritate firmanda et defendenda immorabimur aliquantulum, nec id vitio vertendum est, quia ut recte monet Cajetanus in hac quæstione xxvii, articulo primo: « Principium prolixum esse decet secundum Platonis præcepta, quatenus ex principiis bene discussis facillior sit ad reliqua aditus. »

ARTICULUS I.

Qui errores fuerint circa processionem Personarum et mysterium Trinitatis.

I. Relictis erroribus, vel potius cæcitate aliquorum gentilium et infidelium Judæorum, qui hoc mysterium vel nullo modo agnoscunt, vel pertinaciter negant, etiamsi unum Deum fateantur lumine naturali, ut philosophi gentiles, vel parentum traditione, aut ex sacra Scriptura convicti, ut etiam infideles Judæi qui nunc sunt, tamen inter hæreticos, qui de hoc mysterio controversiam habuerunt cum catholicis, constat duo præcipua fuisse capita, et quasi fontes, unde errores omnes,

vel saltem præcipui, qui circa hoc mysterium famosiores sunt, emanarunt, ut etiam D. Thomas insinuat in hac quæstione, articulo primo, scilicet errorem Sabellianorum, et Arianorum : illi enim ex unitate omnimoda essentiæ inferebant unitatem etiam Personæ, ita quod ea quæ distinctionem Personarum in Scriptura designant, non ad diversitatem ipsarum Personarum in se, sed ad differentiam officiorum, vel actionum ejusdem Personæ referebant, v. g. quod eadem Persona prout ingenita, et principium creandi diceretur Pater, prout incarnata diceretur Filius, prout sanctificans creaturas diceretur Spiritus sanctus, quasi extensione quadam, et dilatatione ejusdem Personæ in diversos effectus : sic enim refert Athanasius oratione contra gregales Sabellii, et oratione contra Arium explicans illud Deus de Deo, ubi illa verba Sabellianorum ponit : « Dilatari Patrem in Filium sumendo carnem, et in Spiritum sanctum sanctificando homines. » Et ad idem alludit illud Nazianzeni in tractatu de fide : « Nec extensionem partis alicujus ex parte, ut quidam putaverunt, Dei Filium dicimus. » Alii vero, scilicet Ariani, per aliud extremum ex distinctione Personarum intulerunt etiam distinctionem essentiæ et naturæ, et consubstantialitatem negaverunt, quæ in Concilio Nicæno, et Ecclesia catholica stabilita est. Unde est illa vox Arii apud Athanasium oratione prima contra Arianos : « Cum omnia sint ex nihilo, etiam Dei Filius ex nihilo emersit, et cum omnia prius non essent, sed postea extiterint, fuit profecto, cum Verbum non erat, quod et natura mutabile fuit, sed libero arbitrio bonum remansit. »

II. Cæterum, nec hæreses istæ in Sabellio et Ario inceperunt, nec

eodem modo postea a suis sectatoribus explicatæ et defensæ sunt, sed variis, diversisque astutiis, et subterfugiis exponebantur, et proponebantur, ut simplices quosque deciperent. Antiquior fuit Sabellii hæresis errore Arianorum, sed Arii venenum ita per totum orbem se diffudit, et tanta contentione et pertinacia multorum assertus error est, ut priorem Sabellianorum videatur absoruisse.

HÆRESIS SABELLIANA ET ORIGO ILLIUS.

III. Igitur primus qui circa Trinitatis mysterium et Personarum distinctionem in apertam hæresim prorupit, et expresse illud oppugnavit, fuit Praxeas, circa Tertulliani tempora, contra quem et ipse liberum scripsit, in quo recte de mysterio Trinitatis disputat, licet jam Montani hæresi tinctus esset, et a catholicis, quos ipse Psychicos vocat, declinasset. Et dico primum contra mysterium Trinitatis erupisse Praxeam, quia licet ante ipsum fuerit Ebion, et Cerinthus, qui Christi Domini divinitatem negaverunt, quos postea secuti sunt Paulus Samosatenus, Photinus, et alii ; tamen isti hæretici non cogebantur ex hoc negare mysterium Trinitatis, id est, tres veras Personas in una divinitate, sed mysterium incarnationis destruebant : poterant enim affirmando quod in Deo dantur tres Personæ, negare quod nulla illarum fuerit incarnata, sed Christum esse personam creatam. Unde non numeramus istos inter hæreticos, qui aperte mysterium Trinitatis negaverunt. Sed primus qui illud negavit, et destruere conatus est, fuit Praxeas, qui a Tertulliano inter viginti quinque hæreses, quas in libro de præscriptionibus recen-

set, ultimus collocatur capite lIII. Insinuat autem idem Tertullianus ibi, inter Cataphrygas, quorum auctor fuit Montanus, ut docet S. Augustinus libro de hæresibus, hæresi xxvi, etiam hunc Praxeæ errorem invaluisse, qui paulo ante exorti fuerunt, et a regione in qua versabantur, scilicet a Phrygia, nominati sunt, et inde dicti Cataphryges, quasi Latine dicamus secundum Phrygas. Hi in duas sectas divisi, quidam Proclum, quidam Æschinem secuti sunt. Et illi qui secundum Æschinem nominati, hanc peculiarem blasphemiam seu errorem invexerunt, quod Christus ipse sit Filius et Pater, has duas Personas confundentes. Quod apud neminem alium reperiri, quam apud Tertullianum notat Pamelius in libro de præscriptionibus, notatione cccxxvii, circa finem. Inde videtur Praxeas errorem bibisse et divulgasse: qui forte apud eos, qui secundum Æschinem nominabantur, occultior latebat. Et eo forte alludit Tertullianus in initio libri contra Praxeam, dum de ipso inquit, capite primo: « Iste primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit Romanæ humo. » In Asia autem Phrygiam esse, ex cuius regione Cataphrygas nominatos esse diximus, nullus ignorat. Eos ergo secutus Praxeas dixit Patrem et Filium non duas esse Personas, sed unam, qui cum Deus omnipotens sit, ipsemet in tempore natus, et passus, Christus nominatur. Propter quod Praxeam Patripassianum appellat B. Optatus Milevitanus libro quinto adversus Parmenianum, quia Patrem passum dixit, sicut Noetiani etiam ob ejusdem errorem Patripassiani vocati sunt. Unde et S. Cyprianus epist. lxxiii ad Jubaianum, primo loco ponit Patripassianos, quod de Praxeæ, et ejus asseclis intellexisse, notat Pamelius annotatione prima in librum Ter-

tulliani adversus Praxeam, et super prædictam epistolam Cypriani, numero xxi.

IV. Praxeæ errorem Victorinus quidam corroboravit, ut Tertullianus refert in fine libri de præscriptionibus, et secutus est Noetus, et celebriorem facit Sabellius Noeti discipulus, qui quidem in hoc convenerunt quod non essent duæ Personæ in Deo, Pater et Filius, sed una; licet Sabellius a Noeto in eo videatur differre, ut Epiphanius refert, quod Sabellius non dicebat Patrem esse passum, sicut Noetus: « Sabelliani, inquit, similia Noeto dogmatizantes, præter hoc quod dicunt Patrem non esse passum. » Quæ verba referens Augustinus libro de hæresibus, hæresi xli Epiphanius non assentit: « Cum Sabelliani, inquit, sic innotuerint dicere Patrum passum, ut Patripassiani, quam Sabelliani crebrius nuncupentur. » Sed et Philastrius ut ibidem refert Augustinus Sabellianos affirmat Patripassianos esse appellatos. Nec aliud intelligi potest, cum Sabellius, sicut et Noetus eandem Personam dicant esse Patrem et Filium, unde si Filium passum fuisse fatentur, etiam Patrem passum diffiteri non possunt. Itaque non est dubium eosdem fuisse Patripassianos, et Sabellianos, et quicumque non distinxerunt Personam Patris a Filio. Unde et ipsum Praxeam, qui hanc hæresim prius evulgavit Patripassianum fuisse Tertullianus affirmat libro contra Praxeam, capite primo: « Paraclitum, inquit, fugavit, et Patrem crucifixit. » Hucusque de hæresi Sabellii, ejusque origine. Quam postea in Hispania Priscillianistæ tenuerunt, ut S. Augustinus refert libro de hæresibus, hæresi lxx in fine, et nostris temporibus Michael Servetus suscitare conatus est, ut infra dicemus. Sed et Priscilliano Samosatensi hæresim

tribuit Concilium Bracharense primum, canone tertio. Et Priscillianistas dixisse dari Trinitatem Trinitatis, idem Concilium refert canone secundo, nec tamen, quæ fuerit illa Trinitas ab illis asserta explicat.

ARIÏ HÆRESIS.

V. Circa alteram hæresim, quæ per extremum Sabellio opponitur, affirmando plures esse Personas, et veram processionem in Deo admitendo, sed consubstantialitatem in unitate essentiæ negando, notandum est quod illa communi et Ario attribuitur, quia ab eo latius confirmata, et longe celebrior reddita est, ita ut totum fere orbem ejus ignis incendium corripuerit, tamen etiam ante incœpisse certum est. Nam Augustinus libro de ecclesiasticis dogmatibus, cap. iii, Dionysium quemdam Arii fontem nominat: « Nihil, inquit, creatum aut serviens in Trinitate credamus, ut vult Dionysius Arii fons. » Et fuerunt ante Arium quidam hæretici Alogi seu Alogiani, ut refert Epiphanius hæresi li et Augustinus hæresi xxx sic dicti, quia negabant in Deo Verbum. Et fuerunt circa tempora Soteris papæ et Commodi principis. De quibus etiam agit Castro de hæresibus, verbo Deus, hæresi xvii. Alii Origenem putant doctrinam Arii primitus tenuisse. Epiphanius enim apud Augustinum libro de hæresibus, hæresi xliii de Origenistis qui ab isto Origene derivati sunt, inquit: « Quod Christum et Spiritum sanctum creaturam dicunt. » Et ipse Augustinus ibidem de eodem Origene sic subdit: « Dicit præterea Origenes, quod Filius Dei sanctis hominibus comparatus veritas sit, Patri collatus mendacium, et quantum distant Apostoli

Filio, tantum Filius Patri. Unde ne^c orandus est Filius cum Patre, quia non est auctor indulgentiarum petitionum sed supplicator. » Et S. Hieronymus epist. lxx ad Avitum pro primo errore Origenis ponit, quod Christum Filium Dei non natum, sed factum esse dixerit. Et D. Thomas in hac prima parte, quæst. xxxiv, art. 1 ad 1, cum posuisset in argumento auctoritatem quamdam ex Origene super Joannem, ubi dicit: « Verbum metaphorice dici in divinis, » Origenem dicit fontem fuisse Arianorum. Et idem sentiunt alii antiqui auctores, licet defensores Origenis, ut Augustinus citato loco inquit, dicant eum recte de consubstantialitate sensisse, ut Pamphilus in apologia pro Origene, Ruffinus, Socrates, et alii, et si quæ loca in Origene oppositum subolere videntur, ab hæreticis depravata esse dicunt; in aliis autem locis ut in primo periarchon, c. ii et iii non videntur male de hoc puncto sentire: unde et Athanasius in epistola de decretis Nicænæ Synodi, Origenem pro catholica sententia adducit. Ex antiquiori tamen principio, quam ab Origene errorem istum deducit D. Thomas iv contra gent. c. vi in fine, scilicet a Platonicorum dictis, qui, ponebant summum Deum Patrem et creatorem omnium rerum, a quo primitus effluxisse dicebant quamdam mentem, in qua essent omnium rerum formæ, quam paternum intellectum nominabant. Quæ ergo de Filio Dei in Scripturis dicuntur, hæretici de hac mente creata, et quæ suprema creaturarum esset, accipiebant.

VI. Sed quidquid de istis Ario antiquioribus auctoribus sit, unde ipse suum hauserit venenum, certe ipse apertius cæteris et celebrius errorem istum evulgavit, et consubstantialitatem Filii cum Patre negavit, in nixus tam ipsi processioni Patris a

Filio, quam sine distinctione substantiæ, seu naturæ non potuit intelligere, tum quibusdam auctoritatibus Scripturæ, quæ minorationem aliquam, seu inferioritatem Filio Dei attribuere videntur, et intelliguntur de Filio in natura assumpta pro nobis, quas omnes late collegit S. Thomas IV contra gent. citato capite sexto, et optime dissolvit capite octavo, et ante ipsum idem fecit Idacius Clarus libro contra Varimandum, tomo IV bibliothecæ. Fulgentius in libro contra objectiones Arianorum, et alii patres qui contra Arium disputarunt, inter quos acerrime ei resistit Athanasius in Nicæna Synodo, et in pluribus opusculis contra ipsum evulgatis.

VII. Cæterum non eodem modo, nec in eodem statu Arii error ab eo, et ab ejus discipulis assertus est, sed sicut supra disputatione tertia ostendimus Pelagianam hæresim varios habuisse status, et moderationem aliquam, tum ipsum, tum ejus discipulos admisisse, licet nunquam ad hoc pervenerint ut faterentur gratiam, quæ per subministratiōnem Spiritus ipsi voluntati infunditur, et ex nolentibus et resistentibus volentes facit; ita Ariani variis modis hæresim suam explicarunt, nunquam tamen ad hoc pervenerunt ut Filium consubstantialē Patri faterentur. Nam ipse Arius cum primum in blasphemiam hanc erupit, ut Filium verum Deum negaret, non solum consubstantialē esse disseusit, sed etiam Patri similem esse negavit, non de ejus substantia, sed de nihilo, non æternum, sicut ille sed in tempore creatum affirmans, illoque vulgato apud ipsos Arianos proloquio utens: « Erat quando Filius non erat, » quod est ipsum Patri coæternum negare, et sic etiam Patrem dicebant temporaliter esse Patrem, cum non semper habuerit Filium. Quod

sane ex epistola B. Alexandri patriarchæ Alexandrini, sub quo primum Arius hæresim suam evulgavit, atque in Concilio Alexandriae coacto damnatus est, innotescere poterit. Sic ergo inquit Alexander in ea epistola quam recitat Socrates libro primo historiæ, c. III et ex eo Baronius anno Christi 318, n. LX: « Qui defecerunt ab Ecclesia sunt Arius, Achilles, Æithales, Carponas, etc. Quænam vero isti contra Scripturas excogitaverint, temerarieque effutiverint, sic accipitote: Deum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse, cum Deus non esset Pater; non ab æterno Verbum Dei fuisse, sed ex nihilo ortum esse: nam Deum qui est, eum cum non erat ex eo quod non est procreasse; et propterea tempus fuisse aliquando, cum non esset: creatum enim et factum esse Filium, neque essentia Patri similem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram ejus sapientiam esse, sed per abusionem Verbum et sapientiam dici: ipsum factum esse proprio Dei verbo, et sapientia, quæ in Deo est, per quam cum cætera omnia, cum illum ipsum fecit Deus. » Hæc Alexander.

Ubi vides, tum primam hæretici hujus insaniam, negando Filio Dei omnia quæ ad divinitatem pertinent, non solum consubstantialitatem et coæternitatem, sed etiam similitudinem cum Patre, et proprietatem in ratione Verbi; tum magnam astutiam, et calliditatem hæretici, qui cum videret aperte convinci ex Scriptura suum errorem, quod Verbum divinum seu Filius sit creatura, et aliquid factum, cum dicatur Joannis I quod: *Omnia per ipsum facta sunt*, atque adeo ipse non est factus, cum omnia quæ facta sunt ab ipso sint, distinxit inter hoc quod est esse Verbum, seu sapientiam Dei proprie, et in rigor

PRIMA ARII MODERATIO.

quale est Verbum et sapientia, quæ intra Deum est, seu ipsa essentia Dei est, et absoluta ejus perfectio, et inter Filium, qui est procedens a Deo. Et hunc Filium dicebat esse extra Deum, nec per ipsum facta esse omnia, nec ipsum esse Verbum proprie, sed abusive, quasi verbum, seu vocem externam. Unde dicebat quod per Filium non sunt facta omnia, nisi instrumentaliter, sed per verbum internum Dei, quod est Verbum. Et per hoc deludere conabantur vim argumentorum, quæ ex Scripturis contra ipsos proferebantur, non unum verbum in Deo ponentes, sed multa, idque in suis cantuunculis et conviviis cum facetiis et dieteriis contra catholicos jaculabant. Ita Athanasius in decretis Nicænae Synodi contra hæresim Arianam: « Arius, inquit, in suis cantuunculis, et convivialium libro per speciem subdubitandi fabulatur: multa inquit, verba profert Deus. Quodnam igitur ex istis verbis Filium, et Verbum unigenitum Patris esse recipiemus? » Et iterum in eodem libro Athanasius: « Illi porro (Ariani) quin sit Dei verbum non inficiantur, sed id pro Dei Filio non agnoscunt; » quia nimirum, aliud intelligebant Verbum, aliud Filium. Unde etiam S. Ambrosius libro de incarnatione Domini, cap. VI: « Nonnulli etiam, inquit, aliud Dei Verbum, alium verum Dei Filium crediderunt. » Et hæc adverterim, ut theologus, cui præcipue incumbit veræ fidei defensionem suscipere, non oscitanter, nec segniter hæreticorum calliditates et diverticula, studeat indagare, ne forte ex ignorantia eorum, quæ ipsi docent, et quibus suum errorem volunt palliare, minus solide arguantur ex Scripturis, et delusis testimoniis in risum et opprobrium velint fidem catholicam traducere.

VIII. Convictus Arius damnatusque in Concilio Alexandriae a S. Alexandro patriarcha coacto, incoepit suam hæresim versutia maxima regere, et æquivocationibus variis celare, ut injuste damnatus videretur, et apud alios episcopos refugium posset invenire. Et primo quidem scripsit ad Eusebium Nicomediensem episcopum (is alius est ab Eusebio Cæsariensi, qui et ipse Arii patrocinium impense suscepit) epistolam de fide sua, propter quam injuste ab Alexandro exagitari querebatur. Recitat eam Epiphanius hæresi LXIX et Theodoretus lib. I historiæ, cap. V, ubi inter alia inquit: « Nos quæ sit nostra sententia sensusque et docuimus, et docemus, Filium neque ingenitum esse, neque partem ingeniti ullo modo, neque ex ullo subjecto, sed voluntate et consilio ante tempora et ante sæcula plenum Deum extitisse (vide tergiversationem hæretici) unigenitum, immutabilem, et antequam gigneretur, aut conderetur, aut præfinitur, aut fundaretur, non fuisse, nam ingenitus non erat. Exagitemur igitur, quod Filium principium habere, cum Patrem carere principio dicimus. Atque tum hac de causa, tum quod dicimus eum ex nihilo constare, nos persequuntur adversarii. Istud vero sic ideo asseruimus, quod non sit pars Dei Patris, neque ex ullo subjecto existat. » Vide quomodo se tegeret et spiris implicaret coluber, ex una parte dicens Filium Dei esse ex nihilo, quod utique est esse creaturam, ex alia vocans eum plenum Deum ante tempora et ante sæcula; ubi jam moderabatur id quod prius dixerat: Erat quando Filius non erat, sed tamen voluntate et consilio Dei ex-